

fucium honorari tantum ut magistrum etc., nihil ab eo sperari, peti etc. Omitti tamen non potest testimonium a declaratione et decreto imperatoris, quo legem Sinis omnibus imponit, ita loquendi et sentiendi.

Quaeritur 4^o: An defunctis progenitoribus fieri solitae oblationes sint sacrificia proprie dicta? Num tabellae certis vocibus inscriptae sint superstitiosae? Num in mortuis maioribus agnoscant Sinæ quidquam divinitatis aut ullam dignitatem seu potestatem humana maiorem?

Affirmant Bartoli, Kircherus, Le Tellier, Lopez, a Leonissa, Marinis, Rhodes, Trigaultius, Maffaeus, Semedus aliique citati in actis.

Negant citati Quaes. 3, qui negant Confucium ut sanctum aut ut Deum sacrificiis et templis coli, D. episc. Basilitanus ex ord. Praed., D. episc. Ascalonensis, D. a Leonissa episc. Berytensis, D. episc. Cononensis (M. I p. 50). (Segue una lunga serie di letterati cinesi, ecc.). Fr. Augustinus a s. Pasch., Fr. Petrus de la Pinuella, Fr. Seranus, Bonaventura de Roma, Franciscani et Augustiniani, Fr. Thomas Hortiz, Michael Rubius etc. Ex Societate Iesu Riccius, Trigaultius, Martinez, Philippuccius, Furtado, Faber, Ant. Thomas, Philippus Grimaldi, Thomas Pereyra, Ioa. Franc. Gerbillon, Ios. Suarez, Ioachim Bouvet, Kilianus Stumpf, Ioa. Bapt. Regis, Lud. Pernoti, Dom. Parrenin, et qui nunc in urbe est, Franc. Noël, qui ex libris classicis Sinensium docet, ea quae in actis nuper editis exponuntur, mendosa esse et falso interpretata multis in locis. Unum exemplum hoc esto: litera Sinica Goez exponitur 'Sedes' seu thronus spiritus vel animae. Interim haec litera Sinica non id significat, ut patet ex dictionariis, sed significat rem aliquam, quae erigitur, qualiscunque sit. Itaque vertendum esset: tabella erecta in memoriam spiritus. Sic imagines maiorum et parentum in aedibus vulgo ad eorum memoriam conservandam appenduntur. Hanc interpretationem confirmat litera Chu, quae in eadem inscriptione legitur, et significat intentionem, mentem, memoriam, representationem etc. Resp. n. 290. In testibus praecipuum locum obtinere potest frater imperatoris natu minor, primum vero sibi vindicat in hac causa imperator ipse, qui palam in scripto asseruit, eorum tabellis Confucii et progenitorum aliisque, quae ad sepulcrum fiunt ceremoniis, nec honorem nec felicitatem etc. a defunctis petere Sinas, sed tantum fungi officio grati et memoris animi. Idem anno 1700 pronuntiavit, Sinas non credere, animas in tabellis illis residere. Citati authores passim negant, addictas esse istis mortuorum ceremoniis vestes speciales, sacerdotes et ministros proprios etc. Negant invitari animas quasi dein invitatae adventurae essent, et sessurae in tabellis expositis. Negant supra manipulum palarum infundi vinum etc. et docent, plerasque ex illis ceremoniis adhiberi etiam ad honorandos vivos, excipiendos convivas, salutandos hospites: alias plerasque iam non usurpari.

Habet hic Sanctitas V., Beatissime Pater, utriusque partis testimonia. Perspicuum est, partem illam, quae Sinenses ritus vacare superstitione affirmat, superiorem esse altera numero testium, auctoritate, gravitate. Cui enim persuaderi poterit, eos qui contra sentiunt, doctiores, prudentiores, experientia maiori et probitate esse praeditos, quam